Quod Felix Faustumque Esse Jubeat Deus Ter Opt. Max.

De

RENUNCIATIONE SUCCESSIONUM VEL HEREDITATIS,

Vom Verzüg Recht / Künfftiger Wart vnnd Erbschafften.

DIASCEPSIS INAUGURALIS THEORICO-PRACTICA,

Quam

Autoritate & Decreto

Nobilis & Amplissimi JCtorum Ordinis, in florentissimâ & celeberrimâ NORIBERGENSIUM *Universitate Altorphinâ.*

Pro obtinendis in UTROQUE JURE privilegiis, immunitatibus, ac summis honoribus Doctoralibus

Publicæ & solemni disquisitioni submittit

GEORGIUS CHRISTOPHORUS WALTHERUS, ROTENBURGO-FRANCUS.

Ad diem 20. Junij.

clↃ IↃ c XXIIX.



Typis suis exscribebat Balthasar Scherffius, Universitatis Typographus.

VIRIS

Nobilitate generis, varia eruditione, virtute, multoq; rerum usu, Amplissimis, Clarissimis, Eminentissimisq;

DN. CHRISTOPHORO CONRADO SEUTERO, J. U. D. & Imp. Reip. ROTENBURG. Consiliario, & Advocato dignissimo.

DN. BERNHARDO STIBERO, MED. D. celeberrimo, Illmæ Aulæ Onoldino-BRANDENBURGICÆ Consiliario & Personæ Medico, Reiq;publ. ROTENBURG. Archiatro meritissimo.

DN. JOH. FRIDERICO REICHSHÖFERO, prædictæ ROTENBURG. Reipubl. interioris Senatus Assessori prudentissimo.

DN. JOH. GEORGIO VÖLCKERO, ejusd. ROTENBURG. Reipubl. Senatori & Ærarij Triumviro, & p. t. ad Cæsaream Majestatem Legato, &c.

Dnn. Affinibus, Tutori, Cognatis, omnibus verò fautoribus meis pl. honorandis,

Inauguralem hanc disputationem, honoris & studij, ulteriorisq; favoris promerendi causa, lmq;

D. D. D.

GEORG. CHRIST. WALTHERUS.

Σὺν δαίμονι ἐσθλῷ

Παρασκευή.



Uod Plinius l. 8. epist. 14. è prudentiæ fronte depromsit: *Neminem tàm patientem futurum, ut addiscere velit, quod non sit in usu habiturus*, id Plutarch. in præcept. de ger. *Republ.* alio consimili noëmate expressit: *Pueris tenenda quæ eis usui futura sunt, quando viri evaserint, & alius sequioris ævi ICtus Henning. Göden, primus Acad. Witteb. Profess. tr. de Elect. Reg. Rom. c. 1. n. 11. putat scitamenta altioris indaginis & adultioris stomachi benè in Academiis proponi, cum hæc juvenili memoriâ infixa diutius hæreant, & maturiori deinde judicio ad actionem earum rerum rectiùs instituendam promtius occurrant, nec adeò infructuosum sit, ut scholares aliqua de cursibus mundi audiant: cum non scholæ, sed vitæ potius discendum, secundum Senec. epist. 9. & hoc ipsum sequentes Dd. palàm professi sunt, ut Warem. ab Erenberg. l. 1. fœder. c. 1. n. 128. Bart. Volckm. de jur. Principum. c. 1. n. 11. Bernh. Bertram. de Comitiis Imp. n. 4.* Talem verò nunc materiam, theorico-practicam in luce Reip. aliquando victuro commodissimam futuram, gravissimorum horum virorum placita secutus, ad instar diascepseώs inauguralis, cum bono Deo conscribere, conscriptamque palæstræ disputatoriæ subjicere volui, materiam nempè, DE RENUNCIATIONE SUCCESSIONUM vel HEREDITATIS, *non solùm jucundam, sed & utilem & necessariam, propter casus quotidie emergentes, quod satis probant celeberrimarum Academiarum & excellentissimorum JCtorum responsa, secundum D. Reinking. in Comm. ad l. fin. n. 1. C. de pact. materiam tàm frequentem & assiduam in usu forensi, ut earum, quæ in utroq; jure reperiuntur, nulla unquam usitatior & frequentior reperiatur, secundum Ferdinand. Vasquium, de success. creat. l. 2. §. 18. n. 1. v. per contrarium: materiam etiam nobilissimam, utpote ob quam unicam, variæ controversiæ, quæstiones, disputationesq; graves, inter personas etiam Illustres, Generosas, & Nobiles suscitatæ sunt, & adhuc suscitantur, juxta Henr. Breulæum de renunciand. recept. mor. in præf. pag. 15. cum non de plebejorum & inferioris hominum conditionis, sed in supremo gradu collocatorum Magnatum nimirum, Illustrium, Nobiliumq; juribus*

atq;

atq; successionibus, re omnium maxima atq; gravissima principaliter agat, teste B. Kellenbentz de Renunciat. success. in præfat. Cœterum, ne sine certa methodo oberremus, & sic facilius ad tesqua fallacia seducamur, placet ex doctrina Aristotelica ἀποδεικτικῇ, totam renunciationis hujus γένεσιν, quæ in inveniendo loca methodica consistit, primùm, quantum propositi ratio permittit, breviter adferre, deinde ejus ἀνάλυσιν ex *C. quamvis 2. de pact. in 6. & l. 3. C. de collationibus,* in quibus ordinaria sedes hujus materiæ habetur, proponere.

Classis prioris, continentis Genesin Renunciationis Successionum.

Caput I.

De Significatione & Definitione Renunciationis Successionum.

§. 1. Γένεσις hæc, considerandam nobis proponit ὀνοματολογίαν καὶ πραγματολογίαν: illa rursus nobis exhibet etymologiam, homonymiam, & Synonymiam. (1.) Etymologia facilis est, & ferè indigna examine, nisi & optimi Dd. nostri, tales & consimiles ipsi inculcassent, sic nempe, quæ JCtorum responsis explicantur, aut in verborum interpretatione, aut in recti praviq; discrimine posita sunt, *teste Quintiliano l. 12. Instit. Oratoriar. c. 3.* adde pro more suo latissimè tractantem *Tiraquell. de nobil. c. 81. n. 464. P. Frider. lib. 2. de mand. c. 63. n. 10. & optimum Præceptorem meum, Dn. Berneggerum, ad Suetonij Cæsar. c. 56. n. 7.* Renunciatio igitur nomen habet à nuncio, voce Syracusana: illi enim à νέος νέγκιος declinârunt, unde Latinum Nuncius: ratio nominis videtur esse, ab adjuncto solito sumta, quia nuncius nova portat, *Ioseph. Scalig. in Conjectan. ex Varrone:* unde etiam compositum, renunciatio, hoc ipsum innuere videtur, nam qui renunciat alicui rei, novum aliquid nunciat, & à re illa, cui renunciat diversum. (2.) Homonymia in variis significationibus vocabuli renunciare consistit, significat enim 1. idem, quod denunciare, ut in *l. 29. §. 2. de eviction.* 2. item novum opus nunciare, *l. 16. ff. d. n. o. n.* 3. significat idem, quod repudium aut divortium facere, *l. 2. §. 1. de divortiis, l. 17.*

tiis, l.17. §.fin.de reb.auth.judic.possid. 4. denotat id, quod affirmare vel indicare, Einem etwas zu wissen machen/ etwas zu entbiethen/ *ut l.1.pr. l.3.§.1.l.5.§.2.si mens.fals.mod.dixer.l.40.pr.ff.de contrahend.Emt.Nov.53. c.4.in pr. sic in l.38. §.1.ff. de pœn. consiliorum nostrorum renunciatores, dicuntur proditores:* hîc verò significat jus proprium, & in specie successionem & hereditatem suam omni jure competentem, remittere, seu ut feudistico verbo dem, refutare, Sein Recht nachlassen/ verziehen und begeben/hinc etiam apud Practicos dicitur, das Verzügtrecht. Unde etiam quoad (3.) Synonymiam, eodem sensu resignatio, recusatio, refutatio, remissio, repudiatio venit, *l.14.§.9. ad.edict. l.4.C. repud.hered. l.44.§.1.ff.de legat.1. & passim in tt.ff.& C. de pactis. tt. de Renunciat. extr. & in 6.* quamvis aliquam inter illa esse diversitatem, non negemus.

§. 2. Πραγματολογία nobis exhibet (1.) definitionem, seu si mavis, descriptionem renunciationis successionum, quæ in collectione tot singularium, & de novo indies emergentium difficilima est, adeò ut Itali nullam tradiderint: *Henr. Breuleus,* qui primus in Germania, hanc glaciem fregisse putatur, ita definit *in tractatu suo de Renunciand.mor.caus.1.c.2.n.1. quod sit promissio libera, filiæ dotatæ de bonis paternis, maternis, fraternis, aliorumvé quorumlibet non petendis, his quorum interest, cum juramenti præstatione, in favorem & conservationem familiarum facta:* quæ definitio aliquibus non videtur bona esse, 1. ratione generis. Nam promissio de renunciando, quomodocunq; illa facta sit, etiam juramento firmata, pro renunciatione nondum haberi potest, cum planè diversa sint, pactum de faciendo, & factum ipsum, cum nihil censeatur factum, ubi restat aliquid agendum, *l. in execut.85.§.secund.2.ff.de V.O.* quemadmodum aliud est donatio, aliud promissio de donando, *gl.fin. in l.Tit.ff.de pign.act. Alex.Immol. cons.73.lib.2.* præsertim in his negotiis, quæ certas & specificas ad agendum solennitates requirunt, *§.ex eo.7.l.quib.mod.test.infirm.* & promissionem de renunciando, non esse pro ipsa renunciatione habendam, *deciderunt Scab. Lipsiens. teste Modest. Pistor. lib.3.sentent.de ultim.volunt.c.69. & in his ipsis terminis decidit Fichard.cons.52.n.2.lib.1. Boër.decis.3.n.1.& 15. Adde in consimili Amplis.& Excellentiß.Dn.Andr. Dinnerum, Doctorem & Promotorem meum pl.colend.in tr.ad tit.Cod.de Emt.& vend.reg.1.membr.1.q.1.2.3.& Dom.Arumæum lib.1.decis.13.* ubi

promissio-

promissionem de vendendo aliam faciunt, ab ipsa venditione: deinde quoad differentiam, objectum nimis laxum est, dum alios quoslibet adjicit, cum tamen perspicuum, vix ultra fratres & nepotes id extendi: sic & tertiò, verba *(his quorum interest)* nihil operantur, nam & illi quorum interest, abesse possunt, citra tamen præjudicium. Aliam ergò proponit *B. Kellenbentz. de renunciat. success. q.1.n.4. quod sit renunciatio successionis futuræ, ex libera voluntate medio corporali juramento, ut plurimum à fœmellis in gratiam masculorum facta remissio:* quæ definitio ob duo aliis displicet: 1. ob modum, q. de necessitate requiratur corporale juramentum, cum tamen sufficiat & illa fidei præstatio de consuetudine, & etiam juramentum nudum, sine illis ceremoniis, *ut infra c. 4.* pluribus trademus. 2. quoad subjectum renuncians vagum nimis & absolutum, cum tamen subjectum modificatum hic planè intelligendum, nempè fœmellæ sufficienter dotatæ. Nobis igitur sequens ex omnibus suis causis collecta definitio placet: *quod renunciatio sit hereditatis avitæ, & inde promanantis, ex voluntate libera, medio juramento, seu interposita fidei præstatione, à fœminis dotatis & certioratis in gratiam masculorum, propter conservationem & splendorem familiarum facta spontanea remissio.*

§. 3. Definitioni subjici debet (2.) distinctio seu divisio. Non opus autem est, etiam à legibus methodi deviaret, omnes omninò species renunciationum huc adducere, quarum quinquaginta tres enumerat *Iacob. Butrigarius in tr. de renunciat. jur. civ. (qui est in vol. 1. Tractat. tractatuum. n. 45.)* & patent per se latissimè in Ecclesiasticis, *tt. de renunciat. extr. in 6. & cl.* in jure publico & privato, quas hic non tangemus, sed in terminis renunciationis nostræ specialis, manebimus. Possunt quidem plures ejusmodi dari, sed earum potior (1.) est, quæ à modo renunciationis hujus sumitur, ut alia sit jurata, alia non jurata: valet enim in quibusdam locis Germaniæ, ut ex consuetudine renunciatio hęc injurata idem operetur quod jurata, non obstante auctoritate Canonica, *Bart. Muscul. de success. conventional. cl. 1. m. 2. concl. 5. l. e. Th. Reinkingk. in Comment. ad l. fin. n. 128. C. de pact.* cum & aliàs consuetudo Germaniæ sæpius pacta de succedendo etiam non jurata admittat, *teste Gail. 2. O. 126. n. 2. cum seqq. Nic. Everhard. junior. cons. 25. n. 45. vol. 2.* (2.) Est & alia divisio renunciationis hujus ab objecto desumta: ut sc. fiat universaliter, quoad omnia bona præsentia

& futu-

& futura, *Chassenæus in consuet. Burgund. rubr. 7. §. 12. v. ne les descendens. n. 6.* vel particulariter, quoad quædam & maximè immobilia bona, ut sunt, die Altvätterliche Stammgüter/domus & castella familiarum antiqua, in quib. pręcipuè gloriantur agnati, *Alex. Raudens. dec. Pisan. 37. n. 6.* (3.) Est à loco: alia enim renunciatio est judicialis, alia extrajudicialis: illa fit in judicio, judice pro tribunali sedente, etiam absq; testibus, *Everh. Iun. cons. 6. in pr. n. 2. & 13. vol. 1. Fichard. cons. 53. in pr. lib. 1. & cons. 57. n. 1. d. lib. 1. Reform. Noric. tit. 34. l. 7.* hæc verò extra judicium coram Notario & testibus, vel in præsentia patris & cognatorum tantùm: Sunt & aliæ species, quas omnes hîc referre, tempus non patitur.

Caput II.

De Causa Efficiente Renunciationis Successionum.

§. 4. Ante omnia hîc studiosè discriminare libet, ipsam renunciationem, & jus renunciationis, aliorsum enim hæc tendunt. Et quidem ipsa renunciatio consideratur vel in se, & respectu originis, & causam habet duplicem, principalem & impulsivam, hæc *in c. seq. 3.* suum locum inveniet, quando de fine agemus: vel extra se, & respectu causæ coôperantis, quę est persona renuncians. Causa principalis, renunciationis in se consideratæ, est Summa necessitas, quæ licet ipsa legem non habeat, legem tamen sæpissimè constituit, *c. quanto. 4. de consuetud. l. quæ propter. 162. ff. de R. I. ibiq; Decius n. 1. & 2. c. 2. §. fin. d. obs. jejun. Boër. dec. Burdegal. 44. n. 27.* adeò, ut necessitas eam vim habeat, ut non solùm civile jus vincat, sed & canones se ei subjicere soleant, *Sixtin. cons. Marp. 11. n. 59. vol. 3.* Majores enim nostri, quando ex mera simplicitate inter liberos indifferenter, nec habita sexus ratione ulla, æqua lance bona sua diviserunt, summo id detrimento prolis masculeæ fecerunt, *H. Breulæus de renunc. mor. caus. 1. c. 3. n. 1.* & constat ex jure nostro, antiquos aliter atq; aliter quoad successionem & exheredationem masculorum & fœmellarum processisse, & semper lenius cum masculis egisse, *§. cæter. 3. I. leg. success. agnat. l. 1. §. sed et si, 13. ff. vent. inspic.* quod quidem ipsum abrogavit Justinian. *in §. 5. I. d. exhered. lib. & vitium ait esse in l. maxim. 4. C. liber. præter. l. pen. in pr. C. legit.*

C. legit. hered. ob quod ipsum Bod. 5. de Rep. c. 2. n. 535. Justiniani, vel potius, ut ipse ait, Theodoræ constitutionem, *in d. l. max. vit.* in qua exæquationem fœminini & masculini sexus proponit, ridet, utpote, qui pro retinendo unius mulieris favore, in omnium mulierum favorem, posthabita masculini sexus prærogativa & dignitate, hanc exæquationem instituit: & ideò plus satis uxorius dicitur *ab Anton. Fabr. l. 8. Conject. c. 11.* (quod tamen solidè refutat *Ampliss. D. D. Ungep. Præcept. & Fautor meus pl. honor. exerc. Inst. 1. q. 6. in nego.*) ut miretur *Breulæus d. tr. caus. 1. c. 4. n. 6.* Justinianum locum Papiniani *in l. in mult. 9. ff. de stat. hom.* pandectis inseri permisisse: quo ipso quidem d. constitutioni Justiniani, Imperatoris laudatissimi, & juris nostri parastatæ unici, suum honorem nos non adimimus, sed in materia hac nostra, quæ jus vetus ex rationibus πολιτικωτάτοις mox pertractandis reducit, illam evitare penè cogimur, modò jus hoc nostrum defensare velimus, certè cum debeamus.

§. 5. Respectu causæ coöperantis, quæ persona renuncians, & ut plurimum fœmella est, offert se iterum duplex causæ consideratio, alia enim est propinqua, alia remota: hæc est lex sive consuetudo, quæ fœmellæ hanc renunciationem inculcat, de qua mox: Propinqua verò, est ipse consensus & conventio inter patrem & filiam, de constituenda dote, & renuncianda hereditate ulteriori, *arg. l. 3. C. de collat.* qui consensus, licet aliàs nihil operetur, quoad obligationem inter patrem & filiam, (sunt enim una persona, *l. fin. C. de impub. & aliis subst.*) tamen quoad causam dotis contractus, vel donatio à patre in filiam facta, ipso jure valet, *d. l. 3. l. Pompon. 35. ff. fam. ercisc.* Consensus autem hic, debet esse sibi constans, & ab omni affectu liber, *l. quæritur. 14. §. si vendit. 9. ff. de ædilit. edict.* ideò ad illum requiritur (1.) voluntas libera, unde sequitur, consensum vi & metu (1.) exortum, hic planè negligi, *d. c. quamvis, d. part. in 6. l. 1. & l. 21. §. 5. ff. q. met. caus. l. 116. ff. de R. I. l. 4. ff. eod.* nam voluntas cogi non potest, *l. 3. v. quicquid. C. de her. inst. l. dudum. 14.* (*quem textum ad hanc rem optimum judicat Dn. D. Dinner. in tr. de ult. volunt. part. 1.*) *Cod. de contrah. emt.* ratio est, quia contractus vi initus, est contra bonos mores, adeoq; ipso jure nullus, *Gifan. ad l. 5. C. de LL.* per vim autem intelligimus majoris rei impetum, qui repelli non possit, *l. 2. ff. q. met. caus.* & vim compulsivam: metum autem intelligimus concussivum & impressi-

pressivum, factum per minas & verba violenta, & omninò talem, qui in constantissimum hominem cadere possit, *l.5. & 6. ff. quod met. caus.* quamvis hic sit habenda ratio sexus, ut in muliere non requiratur talis metus, qui cadit in constantem virum, sed qui tantùm in constantem mulierem, in quibus minor metus sufficit, *Pet. Paul. Parisius cons.26.n.64.vol.3.* Wesenb.*cons.43.n.156. Geil.2.O.93.n.9.* An igitur propter metum reverentialem irrita hæc renunciatio fiet, cum is, qui sub alius potestate & protectione est, metu reverentiæ & verecundiæ aliquid agit, quod aliàs sua sponte non egisset? Et dicendum, quod non *l.noviss.7 §.1.ff. quod fals. tut. arg. l.ad invid.6.C.de his, quæ vi metusvé, l.22.ff. R.N. Geil.2. O.147. n.16. & 17. Vult. cons.29.n.111. vol.2.* Sic nec (2.) filia dolo inducta renuncians obligabitur, & talis renunciatio etiam jurata, nullius erit valoris, *d. c. quamvis, l. nec eleg. 7.ff.de dol. Vult ejus d.cons.29.n.102.* cavendum autem est, ne dolum statim admissum esse dicamus, si vel læsi, vel alio modi gravati simus, probandus enim is est, & videtur sanguinis dilectio & consanguinitas, in his casibus omnem doli & fraudis suspicionem removere, *Corn.cons.36.n.9.vol.1. Bursat. cons.15.n.23. vol.1.* Ut etiam (3.) fœmella & quævis persona, ex ignorantia vel errore renuncians, renunciasse tamen nullo modo censeri potest, *text. est ad rem. in l.repud.23.ff. acq. omitt. hered.* unde probatur non censeri renunciatum ei, quod quis ignorat, *l.77.ff.de contrahend.emt. leg.8.legit.ff.her.pet.* & aliàs ex jure constat, quod quilibet renũciare possit, beneficiis pro se introductis, si renuncians certior modò factus sit, de præjudicio suo, *Phil.Matth. cons.Marpurg.24.n.15.vol.3.Vult.sæpè dict.cons.29.n.108.v.2. Kellenbentz d.tr.q.4.* (2.) Requiritur etiam voluntas perfecta, & ut sic loquar, qualificata ad præsens negotium: unde constat furorem, infantiam, & quibus judicium nondum constans est, vel ob ætatem, ut impuberibus, pupillis, vel ob facta contraria, ut prodigis, non inducere renunciationem sufficientem.

§. 6. Jam ad ipsum Jus renunciationis, unde nempe illud stabilitum sit, respectu originis suæ deveniendum est. Et sanè, progrediendo *κατ᾽ ἀρσιν*, nullatenus id ex jure civili nostro Romano oriri, luce meridiana clarius est, quippe quod omnia ejusmodi pacta de succedendo, vel non succedendo damnat, *per l.si quando.35. C.de inoff. test.l.ult.ff.de suis, & legit. l.qui superstit. 94.ff.acq.om.her.* in tantum

autem

autem jure civili pacta hæc negativa, seu de non succedendo improbantur, ut ne juramento quidem convalidari possint, ubicunq; enim pactum à legibus improbatur, ibi nec juramentum admittitur, *l. non est dub. 5. C. de ll. l. 7. § 16. ff. de pact.* causas hujus rei enodabimus in analysi *d. C. quamvis.* Verùm κατ' θέσιν jus hoc nostrum renunciandi fundamentum habet (1.) in jure divino, ubi palàm est, ex eo non tantùm in divisione promissæ terræ, fœminarum nullam habitam fuisse rationem, cum inter solos masculos divisa sit, sed & in successione filios filias, fratres sorores, agnatos cognatos & propinquiores de familia, fœminas exclusisse, *Num. 27. v. 8. Jos. 17. v. 4.* unde hanc consuetudinem nostram legi divinæ conformem esse, ex *Chassan. Tiraq. Zas. Decian. Fichard. probat Vultejus d. cons. 29. n. 30. vol. 2.* (2.) In jure Canonico, *d. c. quamvis. 2. de pact. in 6. c. cum contingat. 28. de jurejur. c. licet mulieres. 2. eod. in 6.* quod jus tantò fortius hic stringit, quia in rebus spiritualibus & conscientiam concernentibus, potius est jure civili, secundum *Dd. Schneidevv. 1. Inst. de nupt. n. 11. Reinking. de reg. sec. & Eccl. l. 2. cl. 2. c. 7.* & ideò secundùm illud est judicandum: jam autem renunciationibus nostris individua penè est assecla juramentum, quod est quædam spiritualis tortura, & animam constringit, *Wesenb. cons. 23. n. 25.* (3.) etiam jure Saxonico jus hoc nostrum renunciatorium fulcitur, im Land Recht. *lib. 1. art. 13. in illis verbis:* Hetten sie auch Ihr Erbtheilung daran verlobt / der sollen sie entperen. *cui addatur const. Elect. Aug. 35. p. 2.* (4.) Sic & jure Camerali illud confirmatum fuit, teste *Gail. 2. O. 147. n. 9. Mynsing. Cent. 2. O. 7. n. 1. Adrian. Gilman. T. 1. Symphor. p. 3. vot. 6. n. 136.*

§. 7. Ex quibus omnibus manifestum evadit, majores nostros inspectis & consideratis juribus hisce, aliisq; rationibus renunciationis hoc jus perpetua, & ubivis locorum ratificata observantia (quæ & ipsa tamen legem facit *Aymo Cravett. cons. 294. n. 8. vol. 2. Menoch. cons. 156. n. 25. vol. 2. Socin. cons. 149. n. 10. vol. 2.*) universali consuetudine ad nos transtulisse, & ferè totum orbem hæc consuetudo peragravit. Nam de Germania nostra, eam probat in genere *Ioh. Fichard. cons. 3. n. 8. & 20. lib. 1. Vult. cons. Marp. 29. n. 36. vol. 2.* ac in specie, deducatu Franconiæ & locis circumjacentibus, *Nic. Everh. jun. cons. 6. in pr. vol. 1.* de Saxoniæ civitatibus, tota Hassia, Bavaria & Suevia, *Iacob. Orloshausen in prælud. resp. jur. an fœm. ext. masc. rectè exclud. n. 50. & 57.*

De tota

De tota Italia testis est *Menoch. de A. I. cas. 149. in pr. Schneidevv. in pr. I. d. leg. ag. succ. n. 10. ex Angel. Zas. cons. 1. n. 51. vol. 2. & Porcius in specie* probat de civitatibus præcipuis, Florentina, Vicentina, Bononiensi, Brixiensi, Patavina in consiliis passim. De Gallia probat in genere *Anneus Robertus lib. 2. rer. judicat. c. 4. p. 383. allegans Guid. Papæ, Aufrer. & Masuer.* & in specie de Comitatu [redacted]vernensi, Ducatu Burgundiæ & Alvernia demonstrat *B. Chassan. ad consuet. Burgund. rubr. 7. §. 12. in pr.* De Sabaudia testatur *Ant. Fab. in cod. Fabr. tit. de pact.* & maximè in Gallia Cisalpina, & in illustri familia Marchionum Montisferrati, post alios allegatos, testatur idem *Faber in Consult. de Ducat. Montisf. pro Duc. Sabaud. p. 1. p. 144.* De Hispania testis est præter *Did. Covaruv. Ludov. de Molina de hisp. primogenit. l. 2. c. 12. n. 51. v. contrarium.* Et in universa Asia, Africa, nec non plerisq; aliis nationibus, communiter hanc consuetudinem vigere, testatur *Bod. l. 5. de Rep. c. 2.* quinimò per maximam propè orbis partem florere & vigere, *ex Laur. de palatiis. Alb. Bruno, Natta, qui conjunctim editi, testatur Orloshaus. d. l. n. 36.* & toto ferè terrarum orbe invaluisse inter nobiles & illustriores, asserit idem *Fab. d. l.* in quibus locum habet illud *Baldi cons. 496. n. 3. l. 4. (citatum à Doctor. meo D. Dinnero, in tr. de non numer. pecun. c. 5. in f.)* Quod totus mundus approbat, ego non audeo damnare.

§. 8. Nec desunt etiam rationes solidæ pro hoc jure. Nam quia (1.) consuetudo est, & ideò pro lege habenda, *l. 32. l. 33. de ll.* rationabilitatem hanc in se etiam continet, quod etsi natura utrumq; sexum ediderit, & alter alterius auxilio opus habeat, nihilominus tamen sexui masculino dominationem, potestatem, majores sensus, fortitudinem corporis, honores, dignitatem, familiæ conservationem, aliasq; prærogativas concesserit, fœminis verò subjectionem præceperit, *Gen. 3. v. 16. 1. Cor. 14. v. 35. Tit. 2. v. 5. c. est ordo. 12. c. 33. q. 5. & c. 14. penè famulas lex esse voluit uxores, d. c. 33. q. 2. & Aristot. 1. polit. 8.* τὸ ἄρρεν φύσει ἡγεμονικώτερον, inque jure nostro, uxores semper vocant maritos suos dominos, *l. ea quæ 57. in pr. ff. don. inter vir. & uxor. l. Luc. 88. §. quæ marit. 2. ff. leg. 2. Dn. Præcept. Bernegger. Cent. 1. qq. in Tac. Germ. q. 12. & 18.* Si igitur sexus masculinus natura est honoratior fœmineo, quidni esset honoratior in successione, *Laur. de palat. in repet. §. cæter. n. 12. l. leg. agn. success. sup. stat. exclud. fam. & ex eo Vult. d. cons. 29. n. 33.*

CAPUT III.

De Causa Finali Renunciationis Successionum.

§. 9. Causæ efficienti tanquam externæ, rectè subjicitur causa finalis, quæ & ipsa externa, & cum impulsiva omnia participat. Finis autem renunciationis successionum, est vel principalis, vel minus principalis. Principalis est vel summus, vel intermedius. Summus est publica utilitas, quæ semper privatæ anteponenda, *per text. in term. l. un. §. 14. C. de cad. toll. l. 3. C. de primip.* unde etiam propter publicã utilitatem multa contra leges sunt recepta, *l. 2. §. 44. ff. ad SC. Tertyll. l. 1. C. de acq. possess.* ut nimirum hoc modo, per masculos potentiores & ditiores factos, Resp. melius possent regi, quippe per quos Resp. regitur, *l. 1. §. 13. de vent. insp. l. 9. C. d. quæst. l. fœm. 2. de R. I.* unde etiam firmamentum regalis potentiæ, ex illustri nobilium potentiumq; familiarum dignitate, per quas Respubl. regatur, æstimandum. Fœminæ quippe *(quas natura rerum ad hoc educavit, ut partus ederent, per l. 2. C. de ind. vid. toll.)* per nuptias in alienam familiam transeunt, *l. 195. §. 5. ff. de V. S. l. quicunq; 10. C. de re milit. l. 12.* & excidunt de familia patris, sicut poma de arboribus, *ut ait Orloshaus. d. tr. n. 29:* accedit, quod masculi etiam majora onera sustineant, *secund. Bl. in l. Titia cum test. §. pen. inf. leg. 1.* unde conveniens, ut & illi commodo potius successionum & facultatum honorentur, *l. 10. ff. R. I. l. 1. §. 5. ff. de aq. pluv. arcend.* Finis intermedius, quamvis cum summo penè coïncidit, respectu tamen privatæ utilitatis, quoad ipsas familias est conservatio, splendor & potentia earum, & ut bona in agnatione illa servata, familiam illustriorem efficiant: quid enim nobilitas sine potentia & opibus, quæ pariunt potentiã, valeat, patet ex iis, quæ scripsit *A. Knich. de jur. Sax. v. Ducum. c. 3. n. 228.* sicut est Doctor sine lege, Canonicus sine præbenda, Eques sine equo, Cardinalis Ravennæ, Abbas Nullatensis, ita nobilis sine bonis. *Tiraq. de nobil. c. 25. n. 9. Ios. Nolden. de nobilib. c. 15. n. 141.* & Comes sine comitatu est abusivus Comes, *Zas. T. 2. cons. 20. n. 7.* Quò etiam respicere videntur illi, qui in principatibus, comitatibus & dynastiis, jus primigenituræ adeò extollunt, ne divisio bonorum inter familias inducatur, nihil enim tàm magnum, quod divisione

visione non fiat parvum, & esset ex re Imperij ejusque dignitatis, adeoque ad conservationem magnarum familiarum, & gentilitatis splendorem pertineret, si feuda principum indivisa manerent, ait *Gail.2.O.153.n.2.* sic familiæ splendor ipsis fœminis est honori & solatio, nam secundùm *Ciceron. pro Rabir. quâ in familia laus aliqua forte floruerit, eam ferè, qui ejus stirpis sunt, cupidissimè persequuntur:* qui verò conservari non posset, si non antiqua avitaque bona majori cumulo masculis reservarentur.

§. 10. Minus principalis finis est, (1.) ne inde ex parili successionis jure, fœminæ maritis imperare ausint, *Iac.Orloshaus.certam. masculo-fœm.acie vir.c.34.n.13.* omnes enim uxores divites, secundùm *Senec.lib.1.Controv.c.6.* servitutem exigunt, & in suis regnare volunt divitiis: insolens malum beata uxor, largiter enim dotatæ, mactant & malo & damno viros, secundùm *Plaut. Aulul.act.3.sc.5.* malo, quia viros in servitutem redigunt: damno, quia sunt sumtuosæ, ut ibi Taubmannus explicuit: & dotata regit virum conjux. *Horat.lib.3. Carm.od.24. Gail.2.O.95.n.21.* (2.) ne divitiarum multitudine cristas erigant, & procis digitum medium ostendant, ita ut dote ejusmodi moderata, fœmellæ nobiles ad pudicitiam & obsequium virorum faciliùs cogantur, ut loquitur *Covarruv. in epit. de Sponsal.c.3.§.9.n.3.* unde pulchrè eas consolatur *Henr.Breulaus d.tr.caus.4.c.3.n.3. Splendidè, ait, ad sponsi maritivé domum deduceris, eandem omnibus necessariis instructam & ornatam reperis, & licet de tuo nihil ibi sit, nihil tamen tibi desit, tu modò vide, ne occulti divortij autor sis: accomodes te moribus mariti, & ille vicissim tuis etiam contentus erit: & num.5. modico, igitur, decenti, honestoq; contenta sis, & cætera agnatis tuis masculis committe, quorum res, si locupletantur, honoris dignitatisq; incrementum augetur, & tuum honorem æquè cumulari tibi persuadeas, & hoc pacto odium, quod ob lucellum exiguum, contra fratres agnatosvé tuos concepisti, per dominum maritúmve tuum locupletem restringitur.*

CAPUT IV.

De forma & modo Renunciationis Successionum.

§. 11. Forma hic, ex Metaphysicis ita elucidari potest, ut aliam constituamus intrinsecam (accidentalem autem saltem, & quæ

 cum

cùm modo agendi hic coïncidit) aliam extrinsecam seu exemplarem, vel idæalem. Intrinseca forma inquirit requisita, quæ ad renunciationem hanc spectant: totam autem animam renunciationis hujus ponunt pleriq;, (1.) in juramento, in tantum etiam, ut si renunciatio sine juramento facta fuerit, talis non teneat, quod de jure Canon. *ex c. quamvis. 2.* verum: quin enim contraria consuetudine multis in locis Germaniæ, ejusmodi juramentum non requiratur, diximus *supr. c. 1. §. 3.* licet eodem jure hodiè necessariò requiri juramentum de communi observantia, testetur *Philipp. Döbner. de renunciat. success. th. 4. Tom. 5. disp. Basiliens.* Unde disquiritur apud Dd. an juramentum hoc, de substantia renunciationis sit, an verò adminiculi loco? Et quia de consuetudine illud interdum negligi, modò dictum est, posterius verius videtur *Breulaeo, hoc tr. caus. 1. c. 2. n. 9.* quamvis velit *n. 10.* pro majori cautela in gratiam & favorem blaterantium scrupulosarumque muliercularum jurari, *Frid. Pruckman. cons. 48. n. 200. vol. 1.* Unde inferri potest, non ita necessarium esse σωματικὸν, seu corporale juramentum, quo per nomen solius Dei, mares erectis duobus digitis, fœminæ apposita ad sinistrum pectus dextra, in loco publico coram Judice solito more jurant, *Wesenb. in ϖ. ff. de jurejur. n. 6.* vel ubi tactis Evangeliis juratur, *l. generaliter 12. §. pen. C. de R. C. l. rem 14. C. de Iudic.* cum hæc solennitas non sit formalis, sed accidentalis. *Donell. l. 21. Comm. c. 13. per c. jur. 12. c. 22. q. 5. Wesenb. cons. 23. n. 29. qui hanc opinionem à consuetudine servari dicit Iac. Ayrer, in suo process. infern. p. 1. c. 6. obs. 5. n. 7.* & conditio hæc juramenti corporalis, pro turpi habeatur, præsertim in fœminis, *l. non dubitand. 20. ff. de cond. & demonst. l. 25. §. 1. ff. de const. pr. Ayrer d. l. c. 2. obs. 3. n. 5.* Dissentit *Kellenbentz hîc q. 3. per tot. Hunn. disp. ad Tr. de jurejur. q. 4. D. D. Bitschius ad d. c. quamvis. n. 12.* Econtrà verò, loco hujus juramenti, ex notissima Germaniæ consuetudine receptum est, inter Illustres & Nobiles personas (inter quas, ut plurimùm renunciationem hanc locum habere diximus, & infra dicemus plura.) ut jurent sub interpositione fidei, Bey ihren Fürstlichen/Gräflichen vnd Adelichen Ehren/wahren Worten/Trawen vnd Glauben/ *per text. in c. ad aures. 4. de his quæ vi met. c. 1. de sepulchr. in 6. ubi parificantur jurare & religiosè fide data confirmare.* Et hæc in praxi & Camera observari, testatur *Mynsf. Cent. 1. obs. 17. ibiq; additionator Arnold. à Rayger, Gail. 2. O. 59. Matth. Coler. d. P. E. p. 1. c. 10. n. 250.*

Fichard.

Fichard.conf.55.n.9. & 10.lib.1.P.Matth.Wehner.in obs.pract.in v. Bey Glauben vnd Trawen.*Rittersh.in not.ad Günther.lib.3.v.511.& in terminis his nostris renunciat. Pruckman.conf.48.n.213. vol 1. Breulaus d.tract. caus.3.c.7.per tot. Ion.Weidenkopff.in cons.allig.Breulai tractatui pag.218. & Ioh.Baier in altero consil. apud eund.p.239. allegans n.12. consuetudinem generalem Germaniæ:* Daß der Fürsten vnnd Graffen Töchter nicht zu schweren pflegen / fürnemlich wann ihre Vätter noch im Leben: quæ ipsa quidem de consuetudine hodierna utpl. procedunt, sed veritate theorica inspecta, aliud dicendum videtur *Kellenbentz.d.tr.q.3. Amplißl.Dn.Dinner.Doctor meus, Comment.ad l.9.memb.1.C.de testib.*

§. 12. Et quoniam in renunciatione hæc duo principaliter considerand a veniunt, juris civilis prohibitio & patrimonium seu hereditas cui renunciatur, & quia illa in jure, hæc verò in quantitate seu facto consistit, ideò (2.) certioratio etiam, tàm de jure, quàm facto, prius facienda videtur, secundum tradita superius *c.2.§.5.* quo sic omnis dubitandi eximatur occasio, *Breul.h.tr.caus.3.c.8.n.3.* Dissentit quidem *Pruckm.d.conf.48.n.203.& B.Kellenbentz.d.tr.q.4.n.6.allegans Wesenb.cons.23.n.53.& cons.52.n.33.cum seqq.* putans, cum non aliter hæc renunciatio consistat, nisi præstito juramento, cogitandum non esse, quod jurans, sit Deum, quem promissi testem esse voluit, hac in parte decepturus, sed potius omnia juris remedia, quibus dispositio annullari potest, juramento suo inclusisse, iisq; renunciasse. Sed ℞. committi Elench.pet.princ. nam hoc ipsum probandum erat, an omnia juramento includantur: cum illud non solùm sua sponte, sed & ex certa scientia præstandum sit, multoq; minus ad non cogitata trahatur, *c.veniens.16.de jurejur.* & præsertim in his nostris terminis, ubi juramentum non usq; adeò valere, & omnia supplere poterit, cum id puellas non faciat sagaces, *ut ait Bl.in l.2.n.12.C.R.V.* puellæ enim duplici infirmitate sexus & ætatis laborantes, non tantæ erunt prudentiæ, ut sub juramento omnia complecti possint, *arg. l.4.C.de Sponsalib.*

§. 13. Sed ad exemplarem formam, qua apparebit, quomodo ejusmodi renunciationes fiant, conscribantur, & conficiantur, nec enim hoc insuper habendum est, nam rectè exempla & formulæ ll.convenientes, in disciplinam juris producuntur, secundùm *Heig. in §.pen.ff.in f.Inst.de adoption.* suntq; q.ocularis inspectio eorum, quæ in ll.vi-

in ll. videmus, *arg. §. ult. l. de grad.* formas autem ejusmodi Latinas exhibet *Breuleus d. tr. caus. 3. c. 1. usq; ad 6.* Instrumentum verò vulgare Germanicum adducit *Muscul. de success. convent. cl. 1. m. 3. n. 164.* nos sequentem formulam *(quam in bibliotheca Dn. D. Prenningeri, affinis mei p. m. in causa renunciationis gravissima, nobilissima familia cujuspiam Franciæ orientalis inveni)* singulariter conceptam subjiciemus, quæ talis est: Ich N. ein geborne von N. weyland deß Edlen vnd Ehrnvesten N. als meines hertzlieben Juncker Vatters seel: hinderlassene Eheleibliche Tochter/bekenne mit diesem Brieff: Demnach vnd als ich mich durch sonderbare schickung deß Allmächtigen/auch mit gehabtem Rath/guten wissen vnd willen der E. vnd E. N. N. N. aller dreyen/meiner in Ehren gebühr fr: lieben Vettern/verordneten vnd verpflichten Vormundern/zu dem auch E. vnd E. N. Ehelichen verlobt vnd verheyrath/vnd dann die zwischen Ehrengedachten meinem fr: hertzlieben Vertrawten N. vnd mir N. mit vnser beeder/auch beederseyts Freundschafft guten wissen vnd willen/auffgerichte Adeliche Heyrathsbrieff/beneben andern Articuln vermögen/daß ich mich/wie solches vnter dem Adel im Land zu Francken vblich vnnd wol herkommen/vor oder nach meinem Ehelichen Beyschlaff/an dem hochlöblichen Keys: Cammergericht/oder vor beederseyts Freundschafft/auch mit vorangedachts meines fr: hertzlieben Vertrawten N. guten Wissen vnd Geheiß/auch für mein Person vngezwungen vnd vngetrungen/verzeyhen soll aller Vätterlicher/Mütterlicher/Brüderlichem vnd Schwesterlichem Erb: Haab vnd Gut/auch aller anderer Anfäll/so zu Erhaltung Adelichen Mañlichen Stammens/auff meine liebe Brüder/auch alle deren Eheliche Mannliche Erben fallen möchten: *(sequuntur jam certa pacta)* Als bekenne ich in Crafft dieses Brieffs/für mich/alle meine Erben vnnd Erbnehmen/daß ich diesen obangezognen Verzigk/vnd wie derselbe von Worten zu Worten/in deme zwischen mir vnnd meinem hertzlieben Vertrawten auffgerichten Heyrathsbrieff begriffen vnd gesetzt ist/mit meinem leiblichen Ayd geleyst vnd geschworen: Inmassen ich mich dañ hierauff Crafft geleysten Ayds/auch bey meinen Weiblichen Ehren/für mich/alle meine Erben vnnd Nachkommen/aller Vätterlichen/Mütterlichen/Brüderlichen vnnd Schwesterlichen Erb/Haab vnd Guts/wie das in allen Rechten am allerbeständigsten beschehen soll/kan/oder mag/verziehen hab/vnd Crafft dieses Brieffs verzeyhen thue. Gerede vnd verspreche auch/Crafft geleysten

Ayds/

Aydes/für mich/alle meine Erben vnd Erbnehmen/ diesen Verzüg wahr/ stätt/ vest/ vnnd vnverzüglich zu halten / darwider auch nimmermehr zu thun/ noch zu thun verstatten. Vnd damit dieser Verzüg vor allen Rechten vnnd Gerichten/ wie die Nahmen haben möchten / desto beständiger/ meine geliebte Brüder meines geleysten Aydes vnnd Verzügts desto gewisser seyn mögen: Als habe ich vor Ehrngedachten meinen fr: hertzlieben Vertrawten / wie auch meinen fr: hertzlieben Schwähern/ vnnd alle anwesende Beyständ/ rc. Hoc tamen moneri debent fœmellæ hæ renunciantes, ne nimis generalia verba loquantur, quo enim generalius renunciant, eo plus deperdunt, *vide l.ult.in f.C.de dot.promiß.*

CAPUT V.

De Subjecto Renunciationis Successionum.

§. 14. Subjectum apud Aristotelem aliud est in quo, (vocatur & subjectum receptionis,) aliud quod, (dicitur aliàs objectum) prius investigat, quæ personæ ad renunciandum pertineant, & constituimus earum ordinem triplicem: 1. personas renunciantes. 2. personas, quibus fit renunciatio. 3. personas, propter quas fit renunciatio: posterius indagat res, quibus renunciatur, de quo *c.seq.* Quod attinet personas renunciantes, considerantur illæ vel ἀρνητικῶς, quæ non possunt renunciare: vel θετικῶς, quæ possunt renunciare: Ad illas referuntur, quibus voluntas non libera, & animus mensque integra non est, ut sunt furiosi, mente capti, fatui, prodigi, impuberes, ebrij, quorum tractationem in omnibus penè disputationibus occurrentem seponemus. De plebeiis autem quæritur, an & inter illos ejusmodi renunciationes locum habere possint? Et *Ann. Robert. l.2.rer.jud.c.4.* id affirmat, dicens, in Gallia semper à Senatu Parisiensi ita judicatum fuisse, & puto nihil periculi esse, si & inter illos pacta ejusmodi celebrentur, quale passim in Germania, & præsertim Franconia nostra, illud unionis prolium est: sed quia consuetudo hactenus hoc inter illos non introduxit, dicendum est moribus tantùm nostris inter illustres & nobiles hoc frequentari saltem. *Wesenb.in π. ff. de jur. dot. in f. Forster.de pact.c.6.p.160. Dn.D.Dinner.in tr.utilissimo de pact.dotal.p.3.n.126. Rittershus.in Nov.p.7.c.9.n.3.* Θετικῶς ergò renunciare solent utplurimum fœmellæ nobiles & illustres, inter

quas hæ renunciationes moribus nostris frequentissimæ sunt: illud quæstionis hic est necessariæ: an ejusmodi filia renuncians, debeat esse emancipata, an verò in potestate & sacris paternis adhuc existere etiam possit? Et putamus utrumq; asserendum cum *Covaruv. add. c. quamvis. p. 3. §. 1. n. 5. Pruckm. d. cons. 48. n. 201. Sichard. add. l. pact. n. 1. C. de collat. arg. d. c. quamvis.* quod generaliter loquitur, & propterea generaliter de omnibus liberis intelligendum erit, si enim ad emancipatos solùm restringeretur, foret hoc omninò divinatorium, *arg. l. 8. ff. de publ. in rem act. l. 1. §. 1. de leg. author. jud. præst.* facit huc egregiè, quod moribus nostris, filiæ in matrimonium collocatæ (ubi demum renunciatio hæc nostra utplurimùm expeditur) pro emancipatis habeantur, *Zas. ad l. utrum. 107. n. 4. ff. de V. O.* & qui de morib. omnium gentium hoc probat *Cl. Dn. Clutenius, Doctor olim meus, Disputat. 13. Theorico-pract. Iustin. q. 13.* Quod autem hic de puellis dicitur, id etiam obtinet in masculis, possunt enim & hi, vel propter donationem propter nuptias, vel quod pecunias vel expensas studiorum acceperint, hereditati patris renunciare, ut probat *Kellenbentz. h. tr. q. 1. n. 16. & 17. H. Breul. caus. 4. c. 10.* Sicut deffamilias, qui religionem profitentur, & monasticam vitam eligunt, item de ijs, qui ordinem D. Johannis Hierosolymitani suscipiunt, & qui in collegiis pauperum (ut sunt die Bettler Mönchen) habitare volunt, tota die evenire, suo etiam adjecto exemplo testatur *Vasq. d. §. 18. n. 1. v. per contrar.* (2) Personæ quibus fit renunciatio, inprimis est pater, d. c. quamvis, & qui parentis officio funguntur, ut mater, fratres, tutores & curatores, propinqui, quorum quidem interest: quæritur autem, an filia patri renuncians, matri simul renunciasse videatur? Et negamus *d. c. quamvis in v. pactum patri factum:* nam ideò à maternis non excluditur, sed portionem suam legitimam retinet, nisi etiam expressè matri renunciaverit, ratio est, quia renunciationes hæ stricti juris sunt, & de persona ad personam, de casu ad casum extendi non debent, *l. 21. C. ad SC. Vell. l. tres fratr. 35. de pact. Gail. 2. O. 77. n. 5. & O. 148. n. 12. ubi in ipsis terminis.*

§. 15. Personæ, propter quas renunciatur, sunt uno verbo Masculi & fratres præcipuè, nepotesq; ex fratribus & agnati reliqui, qui tamen omnes legitimi esse debent, *l. 3. v. fratrib. qui in potest. C. de collat.* Ideò excluduntur (1.) naturales, tales enim filiam legitimam renunciantem non excludent, quia non sunt in potestate, *l. Paul. n. & l. 23. ff. de stat. hom.* nec appellatione liberorum vel filiorum regulariter

riter veniunt, *l. 6. ff. de his qui sui vel alt. jur.* & si diceremus, naturales filios hic inclusos, sequeretur absurdum, quod filia legitima per masculum naturalem excluderetur, & sic plus haberet luxuria, quàm castitas contra *Nov. 39. c. ult. in fin. Kellenbentz. d. tr. q. 35. in pr.* (2.) an autem legitimati excludantur, quæstionis est? *Doctor olim meus Dn. Bitschius ad d. c. quamvis. n. 9. negat per Nov. 89. c. 9. §. sit igitur. 1. ubi nihil à legitimè natis differunt, c. tanta est, extr. qui filij sint leg.* sed revera per fictionem habentur pro legitimis, *d. l. 6.* ideoq; propria & stricta significatione, in materia hac stricta & odiosa non comprehenduntur, *l. fin. C. de his qui ven. æt.* differunt enim legitimati à legitimo, quantum differt aurum alchymisticum à vero: imago à veritate, *Alex. dec. Pis. 39. n. 349.* & quamvis natalium vulnus, per legitimationem consolidetur, manet tamen interim cicatrix, *secundùm Bl.* (3.) sic nec propter adoptivos filia hîc renunciabit: nam & hi propria appellatione liberorum non continentur, *l. 51. in f. ff. leg. 2. Mynsing. Cent. 3. obs. 26. n. 5.* Dissentit *Kellenbentz. d. tr. q. 35. n. 45. cum seqq. Bitsch. d. l.* (4.) nec etiam Clericis favebit hæc renunciatio: non enim justum contrahunt matrimonium, secundùm CCtas: & cessat in his causa finalis & impulsiva renunciationis, conservatio nempè familiarum *Musc. de succ. convent. n. 257. contrà autem sentit Mynsing. d. l. n. 4.*

§. 16. An verò filia hæc renuncians propter suas filias, ad excludendum eas juret? Et dicendum quod sic, quia filiæ filia succedit in locum filiæ seu suæ matris, quinimò nihil interest, an & neptis ex filio oriunda sit, propter eandem consuetudinis rationem, quæ favet masculis, non fœminis: ut etiam nepos ex filia nil inde lucelli capere potis est: etsi enim masculini sexus sit, tamen respectu originis descendit ex materia inhabili, nempe fœmina, quæ familiam ipsi dare nequit, cum illa familiæ suæ finis sit, *d. l. 195. in f. de V. S. Tib. Decian. cons. 1. n. 11. dicens, quod multò magis excludantur nepotes ex filia, quia veniunt ex radice infecta.* Sed quæritur gravius (*est enim quæstio inauguralis V. Pingizzero, q. 31. n. 1. punctus altissimus Dauthio ad d. c. quamvis. n. 44. casus quotidianus Beustio ad l. 1. n. 229. ff. de jurejur.*) filia hereditati renuncians & moriens, relinquit post se filios ante patris aut avi materni obitum, an hi habebunt ad hujus hereditatem regressum? Et verius est, talem renunciationem matris, liberis ejus non præjudicare, quia renunciatio de hereditate viventis hanc tacitam recipit conditionem, si sc. renuncianti superstiti hereditas delata fuerit, cum

nisi deferatur, ne ei quidem renunciari poterit, *l. qui super. ff. de acq. hered.* hæc verò conditio, filiâ, quæ renunciaverat, ante parentem decedente cum deficiat, utique renunciatio quasi pro non facta habenda, *l. pecun. 36. ff. si cert. petat. ad quam rationem R. Maranta disp. 10. n. 8. putat nullum Doctorem respondere posse: Et hoc ipsum sequuti sunt in decisionibus ipsis in terminis, Thom. Grammat. decis. 57. n. 39. Zas. in l. stipul. hoc mod. c. 2. n. 45. de V. O. Virg. Pingizzer. qq. Saxon. q. 31. n. 13. Fach. l. 3. Contr. c. 23. Forster. de pact. c. 6. p. 169. Dissentiente frustra Nicol. Bellon. cons. 15. n. 14.*

CAPUT VI.

De objecto, seu quæ res in Renunciatione cadant.

§. 17. Subjectum quod, seu potius objectum nostræ renunciationis, consistit in rebus, quæ vel filiæ acquiruntur, ob renunciationem bonorum patris factam, ut est dos filiæ nupturæ à patre constituta: vel consistit in bonis paternis, quæ success. ab intest. filiæ nisi renunciasset, obvenire potuissent. Dotem igitur pater filiæ renunciaturæ constituere debet, aliàs nil agit *d. l. 3. C. de coll. & d. c. quamvis.* Sunt tamen, qui renunciationem juratam valere volunt, etiamsi dos constituta non sit, *Fachin. l. 3. Controv. c. 24. Kellenbentz. h. tr. q. 42. n. 27. quorum argumenta conflictui reservabimus.* Sunt quidam qui putant, dotem hanc ut congruam correspondere debere legitimæ, *Boër. dec. 3. n. 12. Treutl. d. 7. th. 2. in fin. vol. 2.* quorum sententia subsistere nequit: sed verius puto *cum Sichard. cons. matr. 10. n. 14. Ant. Fabr. in Error. prag. decis. 12. err. 2.* dotem congruam illam constitui, quæ pro modo facultatum more regionis, numero liberorum, & honore maritorum datur, *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. l. 43. ff. leg. 3.* quid verò dicendũ, si dos tempore renunciationis bonorum paternorum intuitu congrua sit, postea verò parentis facultates ex prospero fortunæ successu augeantur, an filia ad supplementum dotis congruæ agere poterit? Et posse agere in terminis, tradunt *Mynsing. Cent. 3. O. 36. Boër. decis. 3. n. 7. & 9. Schurff. Cent. 1. cons. 96. n. 1.* ratione ferè hac maxima, quod omnis dispositio sit intelligenda, rebus ita stantibus, *l. fin. qui satisd. cog. l. 8. ff. condict. caus. dat.* quam clausulam illustrant egregiè *Iac. Schult. in q. an hæret. fid. serv. n. 389. Dn. Dinner. Doctor meus, in tr. de interpret. contract. obscur.*

obscur. concl. 5. Martin. Mager. de Advoc. arm. c. 16. n. 561: at auctis facultatibus, res non permanet in eodem statu: facilis tamen est responsio ad hanc clausulam, quod illa non ita latè sit capienda, parum enim est hoc interpretandi more recepto, quin tractu temporis omnes contractus subvertantur, semper enim dici poterit, rem non durare in eo statu, in quo fuit tempore contractus initi, atq; ita lusoria conventio & actus redderetur, quod concedendum non est, *arg. l. si pret. 75. ff. de judic. sicut D. Dinner. d. l.* pulchrè restrinxit: negativa ergò magis ad salivam nostram facere videtur, quàm & in Electorat. Saxoniæ prævalere testatur, *Treutl. d. 6. de pact. th. 8. lit. g.*

§. 18. Sed quid, si filia locuples tempore renunciationis, post obitum patris, in paupertatem summam incidat, ita ut vix habeat, unde se alere possit, an, non obstante jurata renunciatione, legitimam & alimenta à fratribus petere poterit? Et licet nemo possit mutare consilium suum in alterius detrimentum, *l. nemo. 78. de R. I.* intuitu tamen æquitatis naturalis, filiæ, alimenta sunt decernenda, *arg. l. 4. & 5. ff. de agnosc. lib.* imò debent fratres illam rursus dotare, si priorem perdiderit, secundùm *Campeg. tr. quod stant. masc. fœm. excl. q. 1. n. 3. per text. in. l. cum plur. 12. §. pen. ff. de adm. tut. l. 4. ff. ubi pup. educ.* quamvis cum distinctione huic rei melius prævideri possit, quàm *ex Br. in l. 22. §. 1. n. 1. ff. sol. matr. expendit Cl. Dn. Pracept. D. Ungepaur in praeclar. tr. de jur. dot. c. 4.* inter filiam quæ culpa, & quæ sine culpa dotem amisit, hanc dotandam, illam verò non dotandam esse, *arg. l. fideic. 11. §. si quis dec. ff. legat. 3. & hæc distinctio est communis, secund. Schneidevv. ad §. fuer. n. 91. I. de act. Zas. ibid. n. 35. qui casum benè hunc notandum dicit, quia contigit in ipsius filia.*

§. 19. Quod verò bona paterna attinet, quæ filiæ renuncianti per successi. ab intestato obventura fuissent, sunt ea multiplicia, intelliguntur q; hic omnia bona, tàm mobilia, quàm immobilia, tàm allodialia, quàm feudalia, tàm quæ hereditaria seu adventitia, quàm quæ profectitia sunt: sed hoc non ita simpliciter obtinet, pleraq; enim adhuc dubitationem recipiunt. Unde quærimus (1.) an sub generali renunciatione etiam bonis feudalibus renunciatum sit? quod asserendum videbatur *propter c. unic. an agn. vel fil. def. poss. ret. feud. 2. F. 45. ubi allodialia & feudalia adeò invicem sibi cohærent, ut filius rejectis allodialibus, ad feudalia aspirare non valeat, sed utraq; vel agnoscere vel repudiare debet:* sed hoc non obstante, renunciantem hac in

 parte

parte à feudo non excludi frequentius obtinuit, *Gail. 2. O. 154. n. 16. Mynsing. cent. 6. O. 66. in pr.* nos autem putamus, distinctione rem salvari posse: constat enim, feuda vel esse hereditaria, vel ex pacto & providentia quæsita: illis videtur renunciatum, quia ab intestato jure sanguinis, illi obvenissent per transmissionem patris: his verò non, quia ex pacto primi acquirentis & providentia legis, liberis acquisita sunt, ideoque tali renunciatione non obstante, in talibus filia succedet, *arg. c. filij si de feud. def. 2. F. 26.* (2.) diximus *in pr. §. hujus*, bona illa per renunciationem filiæ adimi, quæ ex successi. ab intestato ad eam venirent, unde quæritur de bonis ex testamento, si pater filiam postmodùm in testamento heredem instituat, an non obstante renunciatione, nihilominus succedere, & hereditatem adire possit? Et posse ex testamento heredem esse, verissimum est. 1. quia renunciatio hæc tantùm fit de bonis ex successione ab intestato venientibus, ideò ad casum testamentarium non erit extendenda, *l. quicquid. 99. ff. de V. O.* 2. ne patri præripiatur libera testandi facultas, *cont. l. 15. C. de pact.* 3. quia pater instituendo filiam heredem, post renunciationem juramentum remisisse ei videtur: *Gail. 2. O. 148. n. 11. Mynsing. cent. 2. O. 7. Mich. Crassus recept. sent. §. succ. ab intest. q. 10. n. 8. Rittersh. in Nov. p. 7. c. 9. n. 4.* (3.) potest etiam quæri: an filia renuncians bonis paternis, maternis fraternisvé simul renunciasse videatur? Et negamus simpliciter, quia ut omnes renũciationes, ita hæ vel maximè stricti juris sunt, & strictam admodum interpretationem recipiunt, *Tib. Decian. consl. 33. n. 46. vol. 1.* & in specie in renunciationem non venit, nisi quod nominatim est expressum, *Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1263. n. 12. ad quod ibi adducit Br. Decium Decianum:* quod adeò verum est, ut licet nulla alia bona in hereditate fratris inveniantur, quàm quæ ex successione patris ad eum pervenerunt, nihilominus soror in illis bonis admitti debeat: & ratio est, quod per aditionem fratris, desinunt esse bona patris, *l. cum hered. 23. in pr. ff. de acq. amitt. poss. l. heres. 54. ff. acq. am. hered.* igitur hisce filia renunciasse non censetur, & post mortem fratris à talibus repelli non potest, *Gail. 2. O. 148. n. 12. & his in terminis Rober. Marant a disp. Iuris 10. n. 16.*

CAPUT VII.

De Effectu Renunciationis hujus.

§. 20. **Sic fuit objectum, dispiciendum porrò est de effectu.**

Quem

Quem iterum constituimus duplicem, vel enim respicit renunciationem constitutam, quatenus nempè ex jure hoc omnia resultant, ut scil. excludatur ab omni successione filia, ut dote accepta excludatur à legitima, ejusq; supplemento, &c. vel respicit renunciationem & ejus primaria requisita, vel conservanda (respectu unius partis, altera enim pars perdit) vel infirmanda, quam conservationem actiones promovent: aut enim infirmamus ipsam renunciationem, aut jus renunciationis: hanc vel in se, vel propter accessoria: In se, vel propter enormèm aut enormissimam læsionem, & petimus restitut. in integr. *Gail. 2. O. 147. n. 9. & 10.* Et quia ejusmodi renunciationes utpl. juratò fiunt, quæri debet, an ad effectum agendi relaxatione seu absolutione à juramento opus sit, *Gail. d. l. negat in Camera id fieri, Mascard. de probat. lib. 3. concl. 1264. lim. 8. n. 28.* sed verius est absolutione à juramento opus esse, nam ubicunq; juramentum, etiam vi vel metu est receptum, super eo quod absq; peccato præstari ac impleri potest, absolutionem necessariam esse juranti, si obligationem ejusmodi postea infirmare velit, censendum est, *Fachin. 8. Contr. 102. Rittersh. l. 3. diff. I. Civ. & Can. c. 3. & est Theologorum Lutheranorum communis sententia, teste A. Rauchb. l. 2. qq. I. C. & Sax. q. 4. n. 1. Ierem. Sezer. l. 1. de jur. am. c. 20. n. 1. & qui latè hoc tractat Doctor meus Dn. Dinner. ad l. 2. C. de his quæ vi metusvé:* vel propter hereditatem in se consideratam, ubi hæc duo juris remedia ad hereditatem consequendam comparata sunt, petitio sc. hereditatis & interd. quorum bonor. utrumq; enim heredi sive ex testamento, sive etiam ab intestato veniat, datur non solùm contrà possidentem pro possessore, h. e. qui nullum suæ possessionis titulum allegare potest, nisi quia possidet, sed etiam adversus possidentem pro herede, h. e. eum qui putat se heredem, *l. 1. l. 2. l. regul. 9. ff. her. pet. l. 1. in f. C. quor. bon. & exemplum institutæ actionis hereditatis bis in terminis habet Fich. cons. 55. n. 1. lib. 1.* Beneficio verò constitutionis *ex l. f. C. de edict. D. Adr. toll.* uti potest, quando, ut diximus §. *19.* filia renuncians, postmodum à patre in testamento heres est instituta, eam verò recusantibus & contradicentibus fratribus aut agnatis.

§. 21. Aut infirmamus renunciationem propter accessorium, ut quando agimus ad supplementum dotis congruæ, vel, ut id quod legitimæ deest, suppleatur: Posterius tres actiones competentes habet petit. hered. & jud. fam. ercisc. *Zas. ad §. action. n. 79. I. de act. Schneid. eod. n. 9.* & condictionem *ex l. 30. C. de inoff. test.* quamvis non sine temperamen-

peramento, *ut Bacchov. rectè observavit in disp. Tr.13. th.12. l.c. vol.1.* prius habet condictionem ex l. municipal. *Decius cons.276. & cons.379. Vult. cons.29.n.192.vol.3.*

§. 22. Jus renunciationis ipsum impugnamus, quando tale jus extare negamus, vel hoc aut illud petitum ex hoc jure non concedimus: competit tùm condictio ex moribus, si consuetudo sit fœminarum exclusiva, aut si sit statutum, condict. ex lege municipali: *Vult. d.l. Dionys. Gothofr. ad l. unic. l.r. ff. cond. ex lege.*

CAPUT VIII.

De Cognatis Renunciationis hujus.

§. 23. Affinia sunt renunciationi successionum, vel respectu subjecti, vel respectu finis. Respectu subjecti, nobilium scil. fœmellarum, illa jura penè omnia, quæ deteriorem statum earum faciunt, & masculorum meliorem. Cumprimis autem huc faciunt (1.) Feuda, quæ & ipsa fœminas excludunt, *arg. c.1. de success. fratr. 2. F.11. §. hoc autem not.3. de his qui feud. dar. poss. 1. F.1.* quamvis multæ differentiæ inter hæc feuda & renunciationem nostram intercedant (omne enim simile est etiam dissimile) nam excipienda sunt feuda fœminea, Die Kunckel oder Weiberlehen/ *c. unic. §. fil. de succ. feud. 1. F.8.* & ubi consuetudo est, ut succedant in feudis, qualia sunt illa feuda à curvo baculo (*cur ita! vide Wehner. in pract. obs. v.* Krumme Stab) dicta die Krumstäbische Lehen/ per dictum commune: Die Krumstäbe schliessen niemand auß. (2.) non absimilia etiam sunt huic nostræ renunciationi fideicommissa, familiæ conservandæ causa relicta, Stammgüter/ Stammhäuser/ & vocantur circa tractum hunc Noricum, legata familiæ, Vorschickungen. *Besold. lib.2. de succ. & elect. diff.4. n.13. Rittersh. partit. feud. l.1. c.17. ad fin.* quorum fœminę non sunt capaces, quia propriè non comprehenduntur sub nomine Stammen/ secund. *Gylman. decis. Cam.15. n.24. lib.1.* Wehn. in pr. obs. v. Stamm.

§. 24. Respectu finis renunciationum, qui est conservatio & splendor familiæ & agnationis, affinitatem quandam cum illis habet majoritus, quemadmodum enim per renunciationes hasce fœmellarum familia conservatur, ita etiam per majoratum, *Mel. Goldastus de major. c.22. n.3.* & quemadmodum hic una fœmina, propter multos per renunciationem successione se abdicat, ita in majoratu multi propter unum, primogenitum sc. à successione removentur. (2.) re-

spectu

ſpectu finis hujus aliquid ſimile alere videntúr confraternitates, Die Erbverbrüderungen oder Erbvereinigungen / nam & hæ ideò ineuntur, ut ex illarum mutua ſucceſſione & defenſione, ſeneſcentium familiarum ſplendor conſervetur, & ut certos habeant inter ſe ſucceſſores, *Ant. Coler. de jur. Imp. Germ. ſect. 70.*

CAPUT IX. ET ULT.

De Contrariis Renunciat. fœminar.

§. 25. Sic fuerunt loca conſentanea, ſequuntur contraria, per quæ aut reſolvitur, aut prorſus annullatur renunciatio. Reſolvitur renunciatio vel tacita pœnitentia patris, quæ colligitur ex eo, ſi poſt renunciationem filię pater eam in teſtamento heredem ſcribat, de quo *ſupr. c. 6. §. 19.* vel expreſſa, vel etiam revocatione utriusq; partis, *l. 5. Cod. de O. & A. l. nihil 35. ff. de R. I.*

§. 26. Prorſus annullatur renunciatio (1.) ſi non ſit facta hodie juratò de jur. Can. & conſuetudine, ubi talis viget *per c. 4. §. 11.* vel ſi non legitimè ſit facta, puta ſi dolo vel vi vel metu filia inducta ſit, *de quo ſupr. c. 2. §. 5.* Quæritur autem, an & ob læſionem enormem hæc renunciatio reſcindi debeat? *quæſtio magna, difficilis, & quotidiana, ſecund. Michaël. Craſſum recept. ſent. §. ſucc. q. 13. n. 1.* affirmantium autem opinioni adſtipulamur, quia præſertim Cam. Imp. eam ſequitur, *teſte A. Gail. 2. O. 145. n. 8. 9. 10. Mynſing. 5. O. 59. n 3. ubi ita judicatum refert in cauſa Sophiæ* Schenckin *à* Schenckenſtein / *contra Caſp.* Schencken *patruum ejusdem:* Negat quæſtionem hanc *Ann. Robertus l. 2. rer. judic. Pariſius c. 4. Kellenbentz. de renunc. q. 42. n. 21. D. D. Bitſch. add. c. quamv. n. 2. per c. juven. extr. de ſponſal.*

§. 27. Unica ſupereſt inter contraria reſolvenda quæſtio: an ſupervenientia liberorum filiæ renunciantis, *ex l. ſi unquam. C. de rev. don.* efficiat, ut renunciatio caſſetur? In negativam procliviores ſumus, quia donationis exemplum renunciatio noſtra non imitatur, hæc enim vera donatio non eſt, quia eſt remuneratoria, & ob cauſam *arg. l. 167. in pr. ff. de R. I. Pariſius conſ. 69. n. 98. vol. 3. Roland. à Vall. conſ. 11. n. 23. vol. 1. B. Kellenbentz. h. tr. q. 41. n. 7.* Diſſentiunt *Tiraq. ad d. l. ſi unqu. v. donat. q. 8. n. 152. Boër. deciſ. 159. n. 19.* moti cumprimis illo, quod donationis ſpecies ſit renunciatio, *(quod autem jam negatum)* ſed poſſe

donationem revocari, ob supervenientiam liberorum: quod etiam mihi κρινόμενον, multi enim negant *propter d. l. si unquam. C. de rev. don. ut Hottom. Faber. 7. Con. 14. Atq; ita difficilem hanc & utilissimam materiam decurri, & brevissimè, quantum fieri potuit. pertractavi, quæ addi potuissent studio hic omittens, & ad aliud tempus, ocio magis vacuum & meditationibus hisce unicè consecrandum differens: quod restat propositurus.*

Classis II. seu posterioris, continentis Analysin L. & C.

CAPUT I.

Analys. c. quamvis. 2. de pact. in. 6. & l. 3. C. de Collat..

§. 28. Ex Aristotelis doctrina constat, non hoc artis saltem esse, aliquid invenire, sed etiam aliorum inventa posse resolvere: ideò curæ pretium me fecisse arbitrabor, si ad hanc materiam duas leges primarias, unam juris Canonici, alteram juris Civilis ἀναλυτικῶς tractatas exhiberem, in ejusmodi enim vivis quasi casuum resolutionibus anima ll. latet, *dicente quodam in loco Gifanio*: Casus autem d. c. quamvis hic est: *Sempronius nobilis pater filiæ suæ Titiæ nupturæ, dotem sufficientem dedit, & favore liberorum, induxit filiam suam ad renunciandum successioni & hereditati paternæ, sed quod dote sua contenta esset, quæ omnia juramento desuper præstito filia fecit: mortuo verò patre Sempronio, Titia renuncians filia, vult in bonis patris succedere ab intestato, quæritur, an debeat admitti? ℞. Pontifex, quod ex quo juravit, ipsa non ulterius contra pactum suum venire possit, & quia juramentum hoc non vergat in æternum salutis dispendium, & alterius detrimentum, ideò servandum esse, & consequenter, ut dote sua accepta contenta sit, & fratribus aut cœteris heredibus, quoad successionem ab intestato molestias movere desistat.*

§. 29. Huic c. quamvis, quoad decisionem planè est contraria, *l. pact. 3. C. de collat. ibi enim pater dedit filiæ suæ dotem, & convenit cum ea, ut illa contenta, nullum ad bona paterna amplius regressum haberet, sed mortuo patre quæritur, an huic pacto stare debeat filia? ℞. Imp. Alex.*

non

non debere stari huic pacto, sed posse eam cum aliis succedere, modo dotem fratribus & coheredibus suis conferat.

CAPUT II.

Explicatio ΑΝΑΛΥΣΕΩΣ.

§. 30. Quoniam hæ ll. tanquam sibi contrariæ, non possunt separatim explicari, utpote quia altera alteri ration. dubitand. parit: Idcircò prius *d. c. quamvis.* rat. dubitand. & decid. expendam, postmodum aliquid *de d. l. 3.* subjuncturus. Generalis & proxima dubit. ratio exprimitur hæc, quod ejusmodi renunciationes hereditatum jure civili improbentur: sed quoad juramentum, iterum apparet dubitand. ratio. quod juramentum contra legem naturæ inductum, sit nullius momenti, *c. jurav. 4. c. in mal. 5. 22. q. 4. c. quint. vall. 23. extr. de jurejur.* at hereditas jure naturæ liberis debetur, *l. cum rat. 7. ff. de bon. damnat.* Ratio verò decidendi est, quod hoc jure juramentum omninò sit servandum, modò illud non vi & dolo sit præstitum, & non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum, quæ omnia in proposito casu absunt. E. erit servandum. D. l. verò 3. rationes dub. sunt. 1. quia quivis potest favori suo pro se introducto renunciare, *l. pen. C. de pact.* 2. quia valet pactum illud, ut pater filio non succedat, *l. 1. §. si parens. ff. si à par. quis manumiss.* Ratio autem decid. in textu iterum unica & proxima hæc est, quia pactum hoc, juris authoritate improbatur: quod est de succedendo. E. non valet: *d. l. n. l. 15. C. de pact. l. fin. ff. de suis & leg.* Ratio autem cur pactum de succedendo non valeat, & lege improbatum sit, est, 1. quia testamenti factio est juris publici, *l. 3. ff. de test.* ideò hereditas non quibuscunq; pactis, sed certo modo ac forma à ll. præscripta, confecto scil. solenni testamento relinqui potest, *l. hered. 5. C. de pact. convent.* 2. ratio prohibitionis est *in l. si quand. 35. §. 1. C. in off. testam.* 3. quia renunciationes hæ præjudicant publicæ utilitati, quia interest Reip. divites habere subditos, *Nov. 8. in pr.* renunciantes verò in summam ita inciderent paupertatem, quod ferendum non est: 4. *per l. 2. §. 2. ff. de vulg. & pup. subst. ubi improbus est, qui de hereditate viventis cogitat. E. multò magis is, qui paciscitur.*

§. 31. Nunc respondebimus ad rat. dubit. *ad d. c. quamv.* 1. quod LL. civiles pacta hæc de succedend. improbent. ℞. 1. LL. civilium

lium tantam hic autoritatem non esse, ut jus Canonicum vincant, quia quando controversia est aliqua in jure civil. & casus ille decisus est in jure Canonico, tunc stamus juri Canonico in omni foro, *c.1. extr. de nov.op.nun.* præsertim quia spiritualis causa juramentum scil. hic intervenit, ideò etiam locum habet dispositio *d. cap.* non tantùm in omni foro Ecclesiastico, sed & civili, *teste in terminis Ioach. à Beust. l.1.n.227.ff.de jurejur.* 2. quia illæ ll. civiles contraria consuetudine abrogatæ sunt, & ideò consuetudo hæc juris authoritatem obtinet, *l.32. ff.de ll.§.fine scxipt.9.l.de l.N.G.& C.* Quod ration.dubit.juramenti attinet, ℞. *ad d.l.7. cum rat.* hereditatem naturâ liberis deberi, sed volentibus & ambientibus non invitis aut renunciantibus. 2. hereditas jure quidem naturæ liberis debetur, sed legitima propter quantitatem jure civil. introducta facit, ut illud jus naturæ quasi minutum sit, nam illa relicta filij & filiæ nihil ulterius petere possunt, *l.6.C.de inoff. test.* jam verò filia dotem accipiens, quæ succedit in locum legitimæ, verè renunciasse dicitur, *secundùm d.c.n.* E. ulterius nihil jure petere potest.

§. 32. Tandem nunc *ad rat.dub.d.l.3. venimus,* & quidem *ad1. & ad d.l.pen.C.de pact.* ℞. *Ant.Hering.in eleg.tr.de fidejuss.c.6.n.182.* tria requiri, ut renunciatio juris alicujus pro se introducti procedat, ut sit jus tantùm positivum, merè in alicujus favorem introductum. 2. ut non incidat contra bonos mores. 3. ut renuncians sit, qui possit sibi præjudicare, quæ omnia huc accommodata, ex mente juris civilis nostri deficiunt, ut declarat pluribus *Sichard.ad l.n.3.n.1. 2.ad d.l.1. §.si par.* ℞. communiter *ex gl. Sich. & Vasq:* esse casum diversum, non enim ita debere patri filij hereditatẽ, sicut patris filio *per l. nam etsi.15. pr.ff.de inoff.test.* gl. verò potius ait, non esse mirum, cur pacto isti stare debeat pater, quia accepit pretium emancipationis, & ita deliquit, & propter hoc delictum punitur, ut propter renunciationem etiam careat successione filij: quam responsionem non evertit *l. utrum.107.ff. de V.O. qua probatur non esse turpe, patrem accipere pecuniam pro emancipatione filij:* etenim licet id non turpe sit, odiosum tamen à jure habetur, ut respondet *ex Dec. & Alex. Covaruv. ad d.c. quamvis p.3. Relect.§.4.n.10.* Atq; hæc sufficiant de analytica expositione hujus c. quamvis. & d. l. pactum, &c.



F I N I S.